

D E
IMMATERIALITATE
A N I M A E.

Materialistae plene sibi persuasum habent, nulla nobis praegravantia praefecto esse rationum momenta, cur cogitandi facultatem adjudicare possimus Materiae. Quot aliae adhuc Materiae proprietates, inquiunt illi, captum nostrum superant? et quot quantisque praeter has potest praedita esse proprietatibus Materia, de quarum possibilitate ne quidem suspicio mentem subit nostram? Natura nunquid miscendo, formando, atque organizando partes minutissimas, stupenda prorsus in regno minerali, vegetabili, et animali producit miracula? quidni etiam miraculum cogitandi?

Stante hac hypothesi Vis Cogitandi cuidam Materiae portioni, quae certa aliqua ratione conformata est, naturaliter, et virtute internae suae structurae conveniet. — Idmodi Ens, quod organizationem hanc perfectissime perspicit, deberet etiam quam rectissime assequi, quanam illi ratione Vis Cogitandi competit; quin imo ex ipsa praesupposita il-

la organizatione cogitandi facultatem cum certitudine afferere: quemadmodum is, qui essentiam globi cujusdam geometrici penetrat, ejusdem proprietates quoque cum evidenter deducere potest.

Verum hoc quoque insuperhabito, inquiunt, etiamsi nulla possibilis combinatio, et conformatio partium Vim Cogitandi naturalem efficere posset Materiae proprietatem; forte tamen placitum erat Omnipotenti, certae cuidam Materiae portioni isthanc attribuere proprietatem, atque illud in *Ens Cogitans* transformare, quod *natura sua* non esset *Ens Cogitans* futurum. Neque ex ipsa globi cujusdam geometrici essentia sequitur, illum etiam moveri eportere; et tamen videmus, hominem eidem motum impetrari posse.

Ponamus primum. Sit aliqua Materiae portio, certa quadam ratione conformata, vi naturae ac combinationis suae, Cogitandi facultate praedita. Quae-
ro: quid autem omnes et singulae conformatae hujus Materiae partes? quid?

an unaquaeque singillatim de hac Cogitandi facultate participat? an contra? — Si earum singulae non gaudent hac cogitandi facultate, qui potest fieri, ut e membris et partibus non cogitantibus unum *Totum Cogitans* componatur? Ist hoc enimvero manifeste primis humanae Cognitionis principiis adversatur. *Totum* non habet vires alias, quam vires partium, quae nonnisi mediante combinacione diversimode modificantur: e partibus autem omnis prorsus motus expertibus nullum potest componi Motus capax *Totum*; e centenis scultorum millibus nullus conformari sapiens status politicus.

At vero sermonem interruptit Adversarius: Cur, inquit, e partibus non crescentibus componi potest unum crescens *Totum*? Si enim partes Plantarum non sunt organizatae in infinitum usque, certe ad partes aliquas pertingere nos tandem oportebit, quae non vegetant; haec ratione fatendum erit nobis, e proprietatibus Totius non posse tutum satis ad ipsas etiam ejusdem partes for-

L. 2 mari

mari argumentum. Siquidem isthaec argumentandi locum haberet ratio, facilis negotio evinci posset, unamquamque cuiusdam horologii partem horas indicare, singulasque seorsim oculi cuiuspiam partes videre posse: cum e partibus, certa quadam proprietate carentibus, nullum componi dicatur posse Totum, quod eadem illa proprietate sit praeditum.

Juverit periculum facere. Quid est Vegetatio? Quidquid nobis de ea cognitum est, ad strictiorem vel remissiorrem partium nexum, ad celeritatem et directionem motus reduci potest. Si partes nullis gauderent viribus attractivis, si sese non moverent, si in motu suo determinata aliqua directione, ac celeritate non urgerentur, Totum non posset vegetare. Jam autem per nexus potest combinatio strictior fieri, vel remissior; celeritas augeri, vel minui; et directio denique jam hunc, jam illum in modum variari. Eadem quoque stat pro horologio ratio: horarum indicatio motus est secundum certam aliquam directionem.

Si

Si nulla se machinae moveret pars, tum certe machina tota haudquam indicaret horas. — Diversa contra est Visus ratio: si objecti solum intelligimus imaginem, quae post oculum depingitur; verum omnino est, quod asseritur: singulas videlicet oculi partes suscipere radios, atque ad retinam transmittere oportere, ut imago ibidem illa formari valeat. Si autem de ipsa hujus imaginis Idea sermo est; tum oritur

QUAESTIO PRIMA.

*Potestne Materia cogitandi in semetipsa
continere facultatem?*

Ego quidem hujus impossibilitatem satis jam superque demonstratam existimo; cunctaque, quae adversum prolata haec tenus ab Eruditis argumenta in medium proferuntur, sophismata potissimum ejusmodi solum feriunt expressiones, quas nunquam provide satis eligere sufficimus; quia ipsa sermonis nostri ratio tam mo-

mentosae materiae subtilitati non est usquequam accommodata. — Inter alias sequens cumprimis demonstrandi ratio convincens admodum, atque evidens mihi visa est :

Supponimus illud, jam in concessis haberi, quod unumquodque in natura, id est, extra entia cogitantia positum, objectum se solo propriam suam habeat existentiam. Nexus eorum fundatur in reciprocis proportionibus ac relationibus, quae non in ipsis solum objectis reperiuntur, sed, ut existant, prius mente concipi debent. Domus e. g. qua objectum, sive objective sumta, non distinguitur ab acervo lapidum. Si autem Ens cogitans accedat, partes invicem comparet, earumque rationes ad Totum advertat; tum in lapidum acervo disordinem, in domo contra symmetriam, et regularitatem detegit. Status aliquis Politicus, rite ordinatus, et cumulus congregatae plebis per quid inter se differunt? certe per solas proportiones, et regulatas ad Totum relationes: quae tamen

men non in unoquoque Civium, prout nimirum is objective existit, sed in comparatione uniuscujusque ad caeteros omnes, reperiuntur. Pater et Filius; Stirps et Fructus sunt in et per se *isolatae* * creaturae; in suis autem relationibus, qua causa et effectus consideratae, stricto sane nexo sunt copulatae.

Esto; sit unumquodque objectum etiam in particularem aliquam Materiae cogitantis partem impressum; tum unaquaque impressio perinde, ac objectum

L 4 quod-

* *Isolee*, *Iisolirt*, receptus Gallis, Germanisque terminus; vix alio aliquo idiomate reddendus. Multi jam terminum hunc pluribus circumscribere verbis adlaborarunt, nullus tamen eorum adaequatam illius significationem perhibuit. Ego pro mediocritate mea sub Ente *isolato* ejusmodi ens intelligendum existimo, quod quasi solum, independenter ab alio, existit; supposito, quod jam per aliud existentiam nactum fuerit.

quodlibet, *isolatam* suam habebit existentiam. Sint jam *A. B. C. D.* objecta, et *a. b. c. d.* sint particulae cogitantis Materiae; tum quaevis atomus cogitans *a* objectum sibi respondens *A* est representatura; et sic porro.

Verum ubi animadvententur Proportiones et Relationes horum objectorum?

In nulla certe harum atomorum; nam unaquaeque non nisi suum objectum novit: ad proportiones autem, et relationes instituendas unumquodque cum omnibus in comparationem veniat, est necesse.

Sed nec in omnibus atomis simul sumtis; nam ipsa haec simul sumtio præsupponit proportionum et relationum animadversionem, sine qua unumquodque perpetuo se solum manebit, nec unquam cum reliquis unum Totum est effectum.

Ad

Ad ipsam igitur proportionum et relationum animadversionem, quae nimirum comparationem inter se reciprocam postulant, praeter particulas illas *a.* *b.* *c.* *d.* peculiaris una cogitantis Materiae particula *e.* acceptanda erit nobis; cui videlicet isthoc comparandarum inter se proportionum ac relationum negotium concedere valeamus. Haec porro particula *e.* omnes objectorum *A.* *B.* *C.* *D.* impressiones habere deberet, ut illas rite sibi invicem comparare posset.

Si exigua haec particula *e.* ex aliis iterum minoribus constaret particulis; tum impressiones illas aut dispergi denuo, aut in unaquaque minorum illarum particularum universas continere oporteret. In primo casu omnis prorsus evanescit comparisonis instituendae possibilitas; in secundo autem post longas utcunque ambages necessum tamen habebimus denique, ad individuam unam pervenire particulam, quae nimirum omnes omnium Objectorum *A.* *B.* *C.* *D.* etc. impressiones uniat, simulque facultate gaudeat illas

inter se comparandi, atque proportiones, et reciprocas earundem relationes animadvertisendi.

Ens istud individuum, simplex, quod omnes simul semelque impressiones percipit, quod eas conferre invicem, mutuasque relationes instituere, et comparare inter se possit denique, a divisi- bili compositaque Materia necessario *es- sentialiter* distinctum esse oportebit. Quod ipsum nobis distinctionis hujus gratia nuncupatur *ANIMA*.

Non moror jam Adversarium, quin alterutrum eligat: sive videlicet Materiam e meris idmodi individuis atomis cogitantibus compositam; sive unam non nisi individuam cogitantem substantiam in organizata Materia collocatam, quae ab omnibus objectis impressiones percipiatur, easdemque inter se comparet. — In utroque casu non Materia, sive Ens illud compositum, est, quod cogitat; sed simplex solummodo, ac individuum, quod nos in primo casu in locum ejus, ut

ut Animam, cum Materialistis, corporum ens esse dicamus, potius corpus ipsum in aliquam Animarum collectionem transformamus. Paucis: Ut *cogitemus*, multa in unum congregata esse oportet. Materia autem nunquam *una* substantia est; quia e pluribus divisibilibus partibus constat, quarum unaquaeque se ipsa subsistere potest. *

QUAE-

* Non possum temperare mihi, quin isthie loci Hypothesis illius, quam Newtoniani pro indubitate habent, si non absurditatem, periculosa saltē, respectu Materiae Cogitantis, consequentiam rigore perscringam scholastico. Quid enimvero Newtonianis aliud dicitur in Corpore *Materia*, quam *Elementa simplicia*? Id enim, quod compositum est, *Corpus* dicitur, non *Materia*; illud autem, ex quo compositum est, *Materia* nuncupatur, non *Corpus*. Nexus *Corpora* efficit, non *Materia*. Elementa porro, sive ex quibus corpora coalescunt, sola dici possunt

QUAESTIO SECUNDA.

Dato quod Materia natura sua incapax
sit cogitandi; annon potest ei Omnipotens
hanc proprietatem impetrari?

Haec objectio magni cuiusdam Viri
autoritate solet fulciri. *LOCKE* in quo-
dam

possunt in Corporibus Materia; ipsa autem
semper adhuc simplicia esse persistunt, etiam
dum Corpus constituent. Annon enim de
unoquoque Elemento simplici cum Newto-
nianis dicendum habemus, quod sit Mate-
ria? duo quippe nonnisi sunt entium gene-
ra, realiter existentium: *Spiritus*, et Ma-
teria. Elementum simplex est Ens realiter
existens, ita quidem e Newtonianorum sen-
tentia, ut nunquam alteri immediate jun-
ctum, sed unumquodque certis ab altero
intervallis sit sejunctum. Non autem *Spiri-
tus* est. Ergo Materia. — Substantia quo-
que est. — Non igitur dici potuit per
Autorem nostrum: “Materia nunquam una
substantia est, quia etc. Sed Materiae
loco

dam suorum operum eam protulit, atque ab eo inde tempore a diversis autoribus repetita, et quidam cum aliquo triumphi genere repetita est; quasi vero nihil ei prorsus obverti posset. Non crediderim tamen, vel ipsum hunc Anglum adeo suae tenacem fuisse sententiae, ut nullis eam argumentis dirimi posse autumaret.

Cartesianorum haec fuerat argumentandi ratio: Si Corpus par esset cogitando; necessario sequeretur, Cogitationis naturam nonnisi per Extensionem et Motum explicari posse. Jam autem Cogitatio, et Extensio; Motus, et ejusdem Animadversio, sive interna Motus conscientia; naturae sunt prorsus diversae, disparumque proprietatum: quacunque enim ratione Particulae dislocentur, et denuo

loco *Corpus* dicere cum oportuisset. — Verum, posito hoc, omnis hujus argumenti vis infringitur; neque enim de *Corpore Cogitante*, sed de *Materia Cogitante* quaestio est.

denuo connectantur; nunquam tamen Idea, nunquam ulla hujus dislocationis repraesentatio, nulla denique factae per hoc immutationis animadversio exorietur. Inferebant igitur, Extensem nonnisi mobile esse; Cogitationem autem inextensa solum substantiae, omnis prorsus motus incapaci, competere oportere.

Cum autem per idmodi ratiocinia illud solum evinci posse videretur, quod cogitandi vis Materiae natura sua non conveniat; non temere sane quaestionem movit *LOCKIUS*, annon Omnipotentia ipsa, *absolute*, ejusmodi vim largiri possit Materiae, quam natura sua caeteroquin non effet habitura?

Siquidem verum illud est, quod in praecedentibus expositum erat; si ad Cogitandum plures substantiae in unicam, mediante repraesentatione, convenire debent; si denique Materia nunquam definit e pluribus esse composta*,

ta *, tum enim vero perinde absolute impossibile est, ut cogitet Materia; ac impossibile sit, ut Quadratum simul etiam sit Circulus. Quo in casu provocatio ad Omnipotentiam divinam non minus absurdum esset, quam fuerit simpliculae illius mulieris desiderium, quae maximum e Lotteriae lusu, quin quidquam in eam pecuniae ac numerorum posuerit, sibi lucrum erat pollicita, ex eo videlicet, quod apud Deum nihil sit impossibile.

Interim non nego tamen, dubium Angli hujus Philosophi secundum ipsam etiam, quam superius exposuimus, Cartesianorum argumentandi rationem evidenter admodum tolli posse: demonstrari quippe potest, quod attributa nequeant cui-

* Ut locum hunc penitus assequaris, juverit Dialogum III. Pag. 122. inspicere, ubi lin.
9 sic habetur: “Dum de Materia dicitur,
,, eam esse in infinitum divisibilem: non
,, sequitur etiam, copiam ejus partium
,, esse infinitam etc.”

cuiquam Enti, etiam per ipsam Omnipotentiam divinam, indi, quae ipsi natura sua non competit, aut plane repugnant etiam. Juverit isthic sermonem illum adne^tere, quem *Hylas* et *Philonous* in hanc materiam inter se misceuere; ubi Philonous hanc cogitationem facili quadam captu similitudine penitus exequitur. *

Hy-

* Dialogus iste jam typis excusus est in Operibus Miscellaneis Philosophicis *D. Engel*; quod ideo isthic adnotandum duxi, cum plura idmodi Manuscripta in diversis aliorum Operibus reperire sit passim, quorum Autores vulgo ignorantur; neque raro usveniat, ut hos hic *Vericulos faciat*, ferat alter honores. Quod ipsum tamen citra praejudicium *Domini Engel* dictum abs me sciat Lector, velim: neque enim arrogantiae ipsius tribuendum est, quod *Mendelssohn* Autorem esse hujus Dialogi, retineat, sed *Modestiae* illius. Ad haec Virum

Hylass.

Etiam si Materia in et per se incapax sit cogitandi, annoi illi tamen ipsa Omnipotentia divina cogitandi vim inde-re posset?

Philonous:

Perscrutemur, si lubet. — Velit Omnipotentia divina Rosas in rubo cre-scere: quam id ratione adgredietur? an forsitan quot annis, rosarum germinis tempore, recentes e nihilo productura est nodulos, et firmatura eosdem in rubo?

Hy-

de Re Literaria optime meritum, omnique in Philosophicis exceptione majorem esse Engelium universus Eruditus Orbis probe novit utique.

M

Hylas.

Istud equidem minime omnium. Indet illa potius ipsum Rosarum semen rubi radicibus, ut suo ita demum tempore rosarum exerant germina.

Philonous.

Qui Rosarum semina resolvere, internaque eorum structuram armatis perscrutari valet oculis, annon distincte perspecturus est, qua ratione e subtilissime organizato semine per evolutionem ipsae demum in flores prorumpere queant Rosae?

Hylas.

Si acutis gaudeat sensibus, atque ad Opticae regulas exactissima p[re] manibus habeat microscopia; perspecturus est, crediderim.

Philo-

Philonous.

Quid si autem e surculis, qui non nisi Rosarum progignunt semina, poma citrina produci vellet Omnipotentia; annon Eam tunc illos his surculis natura sua minime competentes fructus seorsim creare e nihilo, atque in iisdem firmare oporteret?

Hydas.

Haud secus sane. Verum tunc fructus illi non nisi e Rosarum surculis *excrevisse putabantur*, non autem *reapſe excreviffe dici poterunt*.

Philonous.

Mea quidem sententia, praeter speciem nihil certe hoc in casu praestiterit Omnipotentia; nisi forte Rosarum rubum in malum citrinam conversura esset: id est, ut fanae Philosophiae utar loquendi

methodo, Rosarum rubum adnihilare prius, tumque in locum ejus malum citrinam substituere Ipsam oporteret.

H y l a s.

Quo manifestum sit utique, quod hoc in casu multo minus finem suum assequeretur Omnipotentia.

Philonous.

Poma igitur creabit citrina, et cum Rosarum illa connectet surculis. Qui autem? nullus utique per stirpem ipsam fluit succus limonii germinis; unde ergo sua percepturi sunt nutrimenta fructus?

H y l a s.

Ex aëre, aut undecunque demum iisdem provisura est Omnipotentia.

Philo-

Philonous.

Esto! — Si autem truncus ipse
periit; an poma citrina praeter fulcrum
suum perditura sunt aliquid?

Hylas.

Nihil certe; stirps ipsa quippe ne-
que produxerat illa, neque nutritium
illis succum subministraverat. — Sed
quid haec omnia ad propositam tibi per
me quaestionem?

Philonous.

Ego quidem quaestioneis tuae solu-
tioni me proxime jam accessisse existimo.
Concesseras tu mihi antea, Materiam in
et per se cogitandi vi esse destitutam;
id est, eandem virtute internae suae
structurae infinitarum quidem propemo-
dum formarum, colorum, modificatio-
num, et motuum; nullatenus tamen co-
gitationum esse capacem.

Hylass.

Recte! denuo ego tibi id ipsum concessero per Cartesium perinde expositum, ac demonstratum fuisse etiam.

Philonous.

Ratio igitur sufficiens, siue ipsum Cogitandi principium non est in ipsa Materia; perinde non, quam semen limoniorum in rubo Rosarum. Verum si Deus Materiae cogitandi facultatem indidisse supponatur, annon prius vim hanc seorsim per illum creatam fuisse oportebat, atque sic demum cum Materia conexam?

Hylass.

Ita sane! prout in similitudine nostra palam factum est. Quid tum?

Philo-

Philonous.

At vero hac ratione nonnisi ad spe-
ciem obtentura est Materia cogitandi fa-
cultatem; reapse autem, atque natura
sua tam parum ei propria fuerit illa,
quam parum ex ipso Rosarum rubo po-
ma citrina realiter possunt excrescere.

H y l a s.

Neque hoc jam revocare ausim.

Philonous.

Quaestio igitur non fuerat, utrum Omnipotentia divina Materiae possit adtributum isthoc, sive ipsam impetriri cogitandi facultatem; hoc quippe absolute foret impossibile: sed utrum nequeat vim aliquam cogitandi creare ex nihilo, cumque Materia eandem conjungere? Et ecce! id ipsum reapse praestitit Omnipotens. — Conjunxit illa cum certa organizatae Materiae portione vim aliquam cogitandi, seorsim creatam; atque

duo haec natura sua inter se diversa entia, simul sumta, constituunt *Animal vivens.* — Quemadmodum fructus ad stirpem a se diversam, ita se habet Cogitandi facultas ad organizatam Materiam. — Potest posterior haec interire demum, quin per hoc prior illa praeter fulcrum suum perdat quidpiam.

QUAESTIO TERTIA. *

Annon Anima quoque perit cum Corpore?

Capit illa cum corpore incremendum; patitur illa cum corpore; dirigit illa

* Quaestio haec immediate *Immortalitatem* potius, quam *Immaterialitatem* ejusdem concernit; cum tamen in Manuscripto isthic loci posita sit, praeteriri abs me non poterat. Ad haec non mediocrem lucem adfundit reliquis de *Immaterialitate* quaestionibus. — Mox dubia resolventur.

illa sese secundum omnes ejusdem modificationes; et in proiecta demum hujus aetate ipsa quoque debilior efficitur; prout nimis Corpus sensim sine sensu viribus deficit. — Ictus proterius inflatus crano summi caeteroquin Virum ingenii in stolidi convertit cognatum aselli. — Annon igitur Vis quoque cogitandi pereat omnis, dum corpus existere desinit?

Pendent in cubili meo specula, in quibus repraesentantur singula, quae in eodem eveniunt. Imagines in hisce speculis repraesentatae diriguntur secundum earundem objecta respectu situs, coloris, magnitudinis, figurae, motusque sui. Specula nihilominus propriam suam habent existentiam, neque ab objectis suis, respectu ipsorum, dependere dici possunt. — An alia est Animae humanae, quam horum speculorum, ratio?

Non videtur sane. Repraesentat illa sibi singillatim, atque ad amissim omnia, quaecunque in cerebello, ubi

M 5 sen-

sensationum congeries supponi potest, eveniunt. Hoc distinctius, obscurius illud; vivacioribus hoc, debilioribus illud contra coloribus; cum voluptate unum aliquid, cum taedio aliud quidpiam; prout nimirum materialis imago, sive impressio ipsa in cerebellum, hanc aut illam praefefert proprietatem. Quandiu materiales hae imagines, singulæ proportionatum sibi lucis et roboris gradum habent, tamdiu Anima quoque eminentiam et vivitatem in regno ideali cum aliqua quasi conscientia pervidet, sive cum evidenter quadam, qua etiam partes sese discerni sinunt. Reliquum autem cum continua quadam lucis et umbrae deficiencia, quae facultatibus Animæ proportionata est, semet eidem spectandum exhibet. Quo in statu etiam cogitandi facultatem habet, sive vim, attentionem suam, ad quamcunque objecisti partem ipsis visum fuerit, cum libertate aliqua dirigendi, ideas secernendi, cum spontaneis signis easdem connectendi, siveque pro lubito segregandi, componendi, cum praeteritis comparandi,
atque

atque ad determinanda futura applicandi. Si autem materiales imagines in cerebro disturbatae sint, neque eluentia earundem cum Veritate concordet; tunc Anima secundum certissimas regulas e falsis relationibus nonnisi falsas formare sibi poterit consequentias: manifesto in maniacis, aut phrenitide laborantibus argumento. Concedite maniaco id, quod per sensuum suorum evidentiam in dubium vocari non posse sibi persuasum habet; tum certe maximam etiam consequentiarum ipsius partem admittere vos oportebit; quas tamdiu solum pro absurdis habituri estis, quamdiu praemissas illas ignoraveritis, ad quas Anima per falsas illas materialium idearum relationes fuerat determinata.

Si vero colores quodammodo extinti fuerint, ita quidem, ut omnes imagines aequali ferme sint luce praeditae, neque ulla earum notabiliter prae caeteris eluceat; tum enimvero conscientia Animae suapte desinit, omneque cessat ejusdem in attentionem dominium. Id modi

modi quid evenire videtur in vertigine,
in somno, in animi deliquio. Impossibili-
le illud quidem est, ut omnes prorsus
repraesentationis status iste plene eripiat
Anima. Si fortis in sensus impressio
somno sepultum eripit, tum certe vel
debilissima earum nequit ad minimum le-
vem admodum non excitare sensationem.
Ita etiam ei, qui animo linguitur, usu-
venit: si spiritus volatilis, aut punctura
in cutem aliqua ei iterum excitando pa-
res sunt; tum odor levissimus, aut deli-
catissimus cutis adtactus proportionatum
sibi aliquem in cerebellum, atque adeo
in Anjimam ipsam effectum exerant, est
necessse. Forte ac Debole sunt sibi secun-
dum naturam perinde, ac effectum pror-
sus similia, neque inter se aliter, quam
gradu, differunt. Si causa fortis effectum
gignit, profecto ne debilissima quidem
causa omni prorsus effectu est caritura.
Jam autem, cum sensuum organa cuius-
dam stupore, animi deliquio, aut somno
correpti non possint esse omnis absolute
impressionis expertia; necessario, utut
demum debiles illae sint, aliquam tameñ
in

in cerebello mutationem sunt productuae. Hae autem repraesentationes excitant debiles, suisque causis proportionatas, quas inter nulla se distinguit, animaeque attentionem provocat. Inde stupor, conscientiae memoriaeque defectus in statu ejusmodi; qui tamen evanescit illico, dum objectum aliquod majori impetu in sensus externos agere, atque insolitae intensionis impressionem exercere incipit. Quo etiam fit, ut acutissimum caeteroquin ingenium converti possit in stupidum, si violenta quaedam cerebri concussio imagines disturbet, earundem ordinem interrumpat, in debilem aliquam, aut plane dubiam lucem collocet. Magna Mens vix quidquam vigilando praestiterit majus, quam antea somnando patraverit.

Ex omnibus igitur Corporis viventis permutationibus nihil aliud evincitur, quam quod cogitationes cum ideis materialibus, hae autem cum impressionibus sensitivis cerebri mutuo nexu copulentur. Verum qua cerebri parte?

Expe-

Experientia docemur, non medicina
cerebri frusta citra dispendium vi-
rium animalium perdi posse; magno sa-
ne pro iis Philosophis mirandi argumen-
to, qui jam unicuique cerebri portioni
suam vim animalem, et cuvis fere fibrae
suam ideam adscribere non dubitarunt.
Manifeste jam illud saltem patuit, quod
cerebrum non omni ex parte pro officina
animae haberi possit. Alii, qui determi-
natam aliquam cerebri partem pro sensa-
tionum omnium depositario destinare non
verebantur, experientia contrarium sunt
edicti. Vix ullus jam reliquus est in
cerebro locus, qui tolli penitus, indura-
ri, resolvi, aut permutari nequivisset,
quin absolute necessarium esset, mortem
immediate subsequi. Fortis aliqua cere-
bri concussio videtur vitae, ac sensatio-
nis organa multo laedere magis, quam
violatio, aut plena enim sublatio cuiuscun-
que demum cerebri portionis. Eo
non obstante ex omnibus iis, quae no-
bis de natura humana perspecta sunt,
nihil aliud inferre possumus, quam quod
omnium sensuum affectiones mediantibus

ner.

nervis in aliquo cerebri loco concurrere, ibidemque unire sese necessum habeant.

Anatomia una quidem ex parte maximam nobis subministrat isthoc opinandi rationem; verum ipsa cognitionis sensitivae natura id ipsum extra omnem dubii ponit suspicionem. Certe ex ipsa Materialistarum hypothesi istud tanto necessario magis profluit; si enim impresiones Visus e. g. et Tactus nuspia in Materia convenient, qua ratione posset Materia Cogitans eas inter se comparare? quod tamen eo ipso instanti necessum est consequi, si judicium sensus unius per sensum alterum corrigimus, aut confirmamus.

Mea quidem sententia non est impossibile, ut invisibilis aliqua cerebri particula, quam Anatomis forsitan incassum quaerunt, punctum illud Unionis esse queant, in quod impressiones omnes concurrent. Minima Materiae pars potest adhuc composita, et diversimode sat modificala esse, ut omnes has impressiones

siones percipiat. Profecto secundum ideas illas, quas ego mihi de Materia formo, non ausim cum certitudine asserere, quod exigua illa, et miranda prorsus machina in liquido nerveo reperiri, cerebellum autem nonnisi officina illa dici possit, in qua *sentiens* iste, et *movens* vitae succus fecernitur, et praeparatur. De hac liquidu nervei officina. — — Verum non est hic congruus hypothesin istam dirimendi locus; et quantumvis probabilem eam demum reddere possem etiam, nunquam tamen eidem amplius quidpiam superstruere, aut pro certiori, quam pura puta hypothesi, ipsam reputare prae-
sumerem.

Adhaereamus, cuicunque demum velimus opinioni; aut vero, quod consultum magis fore arbitror, transmittamus interim quaestionem illam de loco sensationes nostras uniente; illud nihilominus fixum statutumque manere videntur, ab interitu Corporis, a corruptione cerebri visibilis, nullum prorsus ad ipsum etiam Animae sive interitum, sive

cor-

corruptionem duci posse argumentum. Membrum quocunque violatum , quis- cunque demum nervus irritatus potest Animam per illos , quos excitat , dolores conturbare , aut per gratas aliquas affe- ctiones voluptate afficere; at vero inter membrum quodpiam a Corpore divulsum, inter contusum aliquem , neque irritabi- lem nervum , interque Animam nulla jam intercedit necessitudo : quo fit , ut Anima respectu eorum prorsus indifferens persistat adversus omnes eidem factas im- pressiones. Sensatio per omnes illos ner- vos propagatur , qui cum proprio Ani- mae organo unum Totum efficiunt ; et retrahit sese quodammodo ab omnibus iis partibus , quae a Toto sunt separa- tae. Idem in cerebro quoque usuvenit. Donec illud Animae organon est , omnem in eo exortam ipsa quoque persentiscat turbam , est necesse. Per corruptionem definit ejusdem cum Anima commercium, perditque proprietatem Organi sensatio- num. Nequit resolvi Anima , veluti ce- rebrum ; non enim illa , prout hoc , par- tibus constat minoribus , quae videlicet

secundum leges Naturae Corporeae sibi
invicem cohaerent. Est illa Unitas indi-
vidua, nullis prorsus Mechanicae legibus
subordinata. Aut enim totam abire in
nihilum oportet, aut subtilissimo cuidam
insertam esse organo; quod nulla omnino
ratione cum cerebro resolvitur, et forsitan,
quod generatim in Natura obtinet,
cum corruptione cerebri novam accipit
organizationem. In universa rerum na-
tura nulla sit resolutio sine nova compo-
sitione, nulla formae cujuscunque dis-
turbatio, absque eo, ut in invisibilibus
ejusdem partibus nova componi forma
incipiat, quae cum tempore sensibus
quoque fese spectandam exhibeat. Qui-
vis interitus in novum tendit exordium;
quaeviis Mors certam pandit ad novam
Vitam semitam.

Si isthaec mea opinio arbitraria for-
sitan, aut etiam temeraria cuidam videtur,
ei nulla alia supereft via, quam ut
Animam absolute finat redire in nihilum;
neque enim ratione alia Entis simplicis
existentia cessare potest: Vis quippe Co-
gi-

gitandi aut reapse cogitare debet, aut
desinere eam oportet *realiter existere*.
Verum ubi in universa rerum natura lo-
cum habet *ad nihilatio*? — quis ille pul-
visculus in hoc universo, qui in nihilum
redigitur? — quodnam illud ens, quod
esse definit? — quae primigenia vis illa,
quae suam perdit activitatem? — Com-
positum resolvitur; pars una per aliam
in motum concitat; vis una per aliam
in actione sua mutatur; jam conveniunt
vires principales ad formandam intrinse-
cus Totius activitatem, jam resolvitur
iterum Totius activitas in suas vires
principales: at vero *Ad nihilatio* cunctas
superreditur universae Naturae vires.
Omnia hujus universi corpora, simul
sumta, nequeunt vel unicum lucis ele-
mentum redigere in nihilum; nequeunt
motrices vel unius atomi vires ex inte-
gro supprimere. Agent illa quidem cer-
ta quadam ratione in illam, non tamen
absque eo, ut in ipsa quoque per ean-
dem reagatur; id est, quin ab ea, me-
diane quapam certae rationis reactione,

aliquatenus permutentur. Et quantumvis exigua demum fuerit permutatio illa, manifestam tamen reddit realem entis regentis existentiam, atque Virtutis suae actionem, quae contra universae licet Naturae vim nunquam non invicta persistit. — Inter *esse* et *non esse* unus aliquis intercedit hiatus, quem universae Naturae vis nequit transgredi: et perinde impar est quidpiam redigendo in nihilum, atque sit ex nihilo aliquid procreando.

Nihil amplius quid mihi pro Anima concedi postulo, quam quod mihi pro quacunque Vaporis particula tribuitur; nihil amplius pro ipsa Cogitandi vi, quam quod simplici cuicunque movendi vi adscribitur. Siquidem illa vis esset entis cuiusdam compositi, tum enimvero, quemadmodum compositae vires motrices, ipsa quoque in sua resolvi posset elementa: cum autem ex elementis neutriquam sit composita, isthaec locum non habet interitus ratio. Absoluta vero adnihili-

nihilatio universis naturae viribus impossibilis esse perseverat.

ANIMADVERSIONES

in difficultates a Domino d'Alembert contra Animae spiritualitatem factas.

Dominus *d'Alembert* * protulit quasdam in medium difficultates, quae cuivis sanae mentis Philosopho obicem ponere queant, quin citra Religionis cuiusdam revelatae auxilium, et, si verbis ejusdem habenda esset fides, plane etiam citra supremam aliquam decernentis cuiuspiam Ecclesiae sententiam, persuasum de Immaterialitate Animae reddere valeant animum. Fatetur ille quidem, majoris esse ponderis illa, quae pro tuenda Animae Immaterialitate adferuntur, argumenta; illud nihilominus pertinaciter pergit afferere, quod obscurae illae, quae non obstante hac hypothesi omni

* Vid. ejusd. *Melanges de Litterature, d'Histoire et Philosophie*. Tom. II. Pag. 105.

ex parte sepe ultro offerunt, ideae nullo prorsus alio, quam revelatae Religionis subsidio, ex integro queant dissipari.

Liceat mihi in magni hujus Philosophi argumentorum vim penitus aliquanto inquirere, facereque periculum, an Summi cuiusdam Pontificis, aut Ecclesiae autoritate opus habeamus, ut gordium huncce nodum feliciter dissecemus.

Prae caeteris isthic animadvertisse juverit, Dominum d'Alembert non eo, quo reapse gaudent, robore nostra pro Spiritualitate Animae argumenta propoenere: debili quippe hac nonnisi animadversione circumscribit illa, quod inter extensionem et cogitationem ne minima quidem intercedere relatio videatur; qu'il n'y a en effet aucun rapport apparent etc. Sequentia autem sunt, quae hanc in rem producit, argumenta:

Saxum marmoreum nec sentiendi, percipiendi, volendi facultatibus praeditum,

ditum, nec earundem capax esse vide-
tur. Inter Materiam, ex qua saxum
marmoreum coaluit, et illam, ex qua
Corpus humanum compositum est, non
sunt, aut saltem non *videntur* aliae, quam
materiales esse differentiae; in figura,
colore, mollitie, duritieque partium,
atque fluiditate quarundem ex iis. Inter
corpus humanum, ac idmodi horologium,
quod quasdam illius actiones imitatur,
prout videlicet Mechanica interdum pro-
ducit, tanto adhuc minor est differentia.
Cur autem deberet Corpus humanum
sensations habere, et cogitationes? cur
contra non habere horologium? quaenam
videtur inter manum cuiusdam cadave-
ris, quae igni admovetur, et manum vi-
ventis cuiusdam hominis perinde igni
impositam, alia intercedere differentia,
quam Motus sanguinis, qui in manu vi-
ventis micat? aut quae videtur locum
habere relatio inter sanguinis motum et
sensationem, quibus viventis gaudet
corpus, non gaudet cadaver mortui? —
Annon simplices hae considerationes, ad-
dit demum D. d'Alembert, sat superque

nobis manifestum faciunt, sentiendi ac cogitandi facultatem ab alia aliqua repetendam esse origine, quam a Materia?

Non temere mihi persuadeo, Lectorem meum eo jam abs me perductum esse, ut levibus hisce, uti primo quidem obtutu videntur, argumentis ipse, citra novum quodquam per me adferendum ratiocinium, pondus roburque addere possit. Quidquid humanum Corpus a Saxo marmoreo diversum habet, ad unicum nonnisi motum reduci potest; nam ipsa quoque organizatio nihil aliud est, quam certa quaedam materialium particularum compositio, ac nexus, virtute ejus Totum ad hunc vel illum Motum aptum accommodatumque redditur. Jam vero Motus ipse haud quidquam aliud est utique, quam loci aut situs mutatio: ista porro mutatio toto coelo distincta est ab ipsa hujus mutationis representatione. Et luculentum profecto est, e cunctis possibilibus hujus mundi mutationibus, utcunque arcto demum nexu junctis, non posse ullam suapte natura

tura exoriri harum mutationum perceptionem; adeoque nullam absolute per artificiosissimam quantumvis Materiae organizationem produci posse repraesentationem. Hucusque sese extendunt *Cartesii* cogitationes, quae quidem rite demonstrant, nonnihil tamen obscuritatis post se relinquunt.

At vero illa, quam supra adtulimus, animadversio Problema nostrum plena in luce collocat, nullumque relinquit dubio locum; sed perfecte pro Spiritualitate Animae decidit. — Omnis Materia constat partibus. *Totum* nequit gaudere viribus, quibus destitutae sunt partes, quibusve careant ipsa quoque partium elementa. Si particulares quaelibet perceptiones ita isolatae * essent in partibus Animae, prout objecta in Natura, tum ipsum *Totum* nusquam realiter existeret. Nullam nos domum, sed isolatos solum lapides; nullam harmoniam, sed isolatos nonnisi to-

N 5 nos;

* Quasi innatae; uti in Metaphysica dicimus.

nos; nullum Totum, sed dividuas ac particulares tantummodo partes essemus cogitaturi. Neque impressiones diversorum sensuum comparaturi, neque perceptiones nostras erga se invicem collaturi, neque proportiones animadversuri, aut relationes perspecturi; paucis: nec cogitaturi essemus, nec sensationes habituri. In simplicissimis quippe affectionibus sensitivis reconditae sunt proportiones, atque idmodi delitescunt relationes, quas animadvertere nos oportet, ne cognitionis nostrae Massa Chaos quodpiam efficiat, in quo nihil quidquam valeat sese ab invicem distinguere. Quo manifestum fit, quod non modo ad cogitandum, sed ad sentiendum quoque *multa in unum* convenire oporteat. Cum autem Materia nuncquam individuum unum aliquod subiectum effici queat, sed semper e pluribus consistere partibus perseveret, Cogitatio perinde, ac Sensatio simplex, atque immateriale Ens pro fonte suo, ac origine habeat, est necesse.

Sumamus nobis jam tantum patientiae, ut immensam illam quaestionum farraginem audire sufficiamus, quas D. d'Alembert Philosopho, semet de Immaterialitate Animae suae persuasum esse reputanti, proponere non veretur. Verum tria sunt non mediocria sane in via Sapientiae observanda documenta, quorum Lectorem meum meminisse prius jubarit, quam aures gravibus hisce pandat sophismatibus.

Imo. Satis fit arrogantiae unicuique Philosophorum, ut nulla prorsus Personarum autoritate suos fascinari sinat oculos, neque ullis semet deterreri difficultatibus, quin propriis easdem oculis, fixoque intueatur obtutu. Magni quique Viri hanc difficultatem pro irresolubili habuere? — forsitan mediocritati nostrae successura est ejusdem solutio. Integris jam saeculis in hanc materiam incassum philosophati sunt quam plurimi? — quis scit, quid crastina ferat dies. Probet quisque vires suas, faciatque periculum, quid

quid ferant, quidve sui recusent humeri.

2do. Nunquam Philosophus eo pro-labatur vanitatis, ut, dum tempus et occasio tulerit, responsum illud, quod tenuitati nostrae perquam accommodum est, dare recuset: *Hoc nescio.* Profecto temeritati illi, quidquid in buccam ve-n'erit, ad datas quasvis interrogationes effutiendi, absurdissimae quaeque opiniones suam in acceptis referendam habent origi-nem, quae Philosophiae non mediocri sane cessere dedecori.

3tio. Ex eo, quod hoc illudve ignoremus, nullatenus inferri potest, nos nibil scire. Utut nobis in Circulo non dum plene perspecta sit diametri ad pe-ripheriam ratio, veritates nihilominus illae, quas in Geometria de Circulo edo-eti sumus, indubitatee nunquam non, invictaeque persistunt. Quantumvis ignotae nobis gentes illae sint, quae inti-mos Africæ sinus incolunt; populos ta-men illos, qui in portibus ejusdem spar-sim

sim degunt, nequit quisquam dicere nobis prorsus esse ignotos. — — Verum progrediamur jam ad ipsas, quas nobis D. d'Alembert proposuit, quaestionum difficultates.

*Si Materia nihil omnino cum Substan-
tia Cogitante commune habet, quanam illud
ratione fieri dicamus, ut incrementum ac de-
crementum, modificatio, omnisque genera-
tim Perfectio; sive major minorve nostrorum
organorum vis in Sensationes, Affectiones,
atque Ideas nostras tam sensibilent habeant
influxum?*

E supra dictis facili negotio, cum-
que satisfactione aliqua huic quaestioni
repositorum crediderim Lectorem meum.
Inter Materiam, et Cogitantem substan-
tiā isthaec saltem, quam nunc profe-
ram, locum videtur habere ratio. Illa
est Objectum, quod repraesentatur; haec
est Subjectum, cui repraesentationes istae
conveniunt; eadem fere ratio, quae in-
ter speculum et objectum; si nimirum
speculum imagines animadvertere posset,
quae

quae in ipso repraesentantur. Imagines
se habent ad obiecta, sicut ideae mate-
riales in Anima ad Materiam, quae illas
producit. Cum materialibus hisce ideis
sunt vires Intellectus ac Voluntatis no-
strae in nexus strictissimo: unde jam ali-
quanto luculentius perspicitur, qua ra-
tione Materia fortissimum habeat ad vi-
res Animae influxum, licet disparis pror-
fus sint naturae. Quid, quaeſo, com-
mune habent quidam linearum ductus,
et Charakteres in tabula candida, aut
Verba quaedam, mihi ab uno aliquo in
aures insuffrata, cum affectionibus Ani-
mae meae? quomodo possunt res ejusmo-
di iram, tristitiam, terrorem, furorem,
gaudium, aut quamcunque demum in
animo meo excitare passionem? an hoc
omne legibus mechanicis, aut adtractivis
et repulsivis adscribendum est Materiae
viribus? annon ipse Materialista neces-
sum habebit, altiori quodam isthaec
omnia repetere principio, atque subli-
mioris ejusdam tribuere Philosophiae
legibus, secundum quas mirabilis iste e-
mate-

materialibus in spirituallia transitus peragitur?

Quomodo id concipi potest, ut duae, quae sibi invicem e diametro oppositae sunt, substantiae nihil prorsus inter se commune habeant; et tamen fortem adeo, atque realem influxum reciproce manifestent?

Ingenue fateor: *Hoc nescio.* Verum majorne hac in re lux adfulget Materialistarum cuiquam? an novit ille, quomodo Materia in Materiam vires suas exerat? Profecto transitus ille ex *activo* in *passivum* tam in materiali, quam in immateriali omnem nostrum supergreditur intellectum: neque per solam activi cum passivo similitudinem quidquam luculentius perspicitur. Nulla nobis praesto sunt rationum momenta, cur entia similia in se invicem facilius agere queant, quam dissimilia. Quis ille mortalium extitit unquam, qui vel illud nobis palam faciendo esset, qua ratione globus unus in motum concitare possit globum aliud? Mihi quidem non abs re videtur, diffi-

cul-

cultates illas, quas *Materialista* tollendi
incapax est, a *Dualista* citra taedium ir-
resolutas perfistere posse.

*Quid nos nobis differentiae saltem ex
iis, quas e quotidiana experientia consecuti
sumus, ideis inter absolutum NIHILUM,
et Ens aliquod realiter existens, quod tamen
Materia non sit, in intellectu nostro propo-
nere, ac concipere possumus?*

Ad difficultatem hanc irritam red-
dendam, addit D. d'Alembert, dicitur
quidem, Cogitationes ac Voluntatem nec
longas, nec latas, nec coloratas, et ta-
men aliquid esse. Verum hoc quidem
est; sed Motus quoque, et Gravitas etc.
perinde nec latitudinem habent, nec
longitudinem, neque colores; et tamen
etiam aliquid sunt, quodque his amplius
est, ad Materiam pertinent. Non con-
sistit difficultas ista in concipiendis mo-
dificationibus, quae extensae non sunt,
sed in harum modificationum subiecto si-
ne extensione cogitando.

Recte

Recte illud equidem! quod d'Alembert ipse difficultatem istam nonnisi secundum ideas illas, quas nobis consuetudo confert, gravem esse existimet. Adeo certe materialibus assueti sumus impressionibus, tantaque cum evidentia illae nos de reali suorum objectorum existentia reddunt certos, ut plene jam comparati simus ad omnia sub materiali aliqua imagine nobis repraesentandum, cunctaque, quae idmodi imaginem recipere recusant, pro nibilo reputandum. At vero non semper eadem est Consuetudinis, quae Veritatis, loquendi ratio. D. d'Alembert in praecedentibus Materia, qua extensum aliquid, atque impenetrabile declaraverat; jam autem tam extensio, quam impenetrabilitas ideae sunt, quae, proprie loquendo, nonnisi in Anima locum habent suum, utut ipsas harum idealium causas externo cuidam objecto adscribamus. Objectum porro istud nuncupamus Materia; subiectum contra, in quo hae ideae oriuntur, appellamus Animam. Quoniam igitur jure illud postulare possumus, ut subiectum necessario

pro-

proprietate Objecti sit praeditum? Materia tandem (nihil quippe de ea amplius compertum est nobis) Ens ejusmodi est, quod in Anima ideas extensionis, impenetrabilitatis, etc. producere potest: Animam vero idmodi ens esse dicimus, quod has ideas cum omnibus suis modificationibus *habere* potest. Consuetudo hanc Animam dicit esse *nullam*, si Materia non sit; hoc idem est, reponit sana Ratio; Ens ejusmodi, quod extensionis et impenetrabilitatis ideas *habet*, nullum est, nisi simul etiam ideas extensionis et impenetrabilitatis excitare valeat. Quo autem argumento id ipsum asseverare possumus? annon prius extensionis, atque impenetrabilitatis ideas nos habere oportet, quam a modificationibus istis, quae in nobis peraguntur, ad Objecti alicujus extra nos positi, quod videlicet Materia dicimus, realem existentiam ducere valamus argumentum. Quomodo, quae-
so, nostrum inducere possumus animum, ut nos ipsos ejusmodi Objectum esse ex-
stimeremus? — Potest quidem, pace mea,
D. d'Alembert idmodi modificationes cogi-
tare,

tare, quae extensa non sint; at vero nos nulla ratione ullum harum modificationum subiectum, quod non sit extensus, cogitare necessum habemus. Praecarer certe, ut huic Philosopho placitum fuisset, semet hac in parte declarare magis, quid reapse sub modificationibus in hujus subiecti opposito intellectum velit. Quantum mihi quidem e meis assequi licet ideis, fateor me nulla prorsus ratione concipere posse, cur ille Cogitationes, ac Voluntatem pro modificationibus habeat; Extensionem autem, atque Impenetrabilitatem Subiecta potius esse existimet.

Cur non potest Ens ejusmodi, quod Cogitat, perinde SUBJECTUM esse, quam Ens illud, quod nervos premit, atque resilit?

Vetus Philosophorum querela est, quod ignoremus, quid reapse sit Anima: at vero optarem magis, ut mihi quis dicere queat, quid reapse sit Materia. Videlimus nos illam, atque sentimus etiam;

non *quid sit*, sed *quid agere possit*, animadvertisentes: videmus enim, et sentimus, non Objecta, sed eorundem impressiones. Ego autem quaero, *quid Materia sit*, non *quid agat*? — Post longas denique ambages quaestionem hanc absurdam prorsus esse deprehendimus; probe quippe perspicimus, impossibile esse, ut Entia alia quapiam ratione, quam per actiones ipsorum, cognoscamus.

Quid igitur cum Anima? — Scimus utique, eam *agere posse*; Ens quippe est, quod sentit, cogitat, cupit,aversatur, etc. *quid?* quod internam quandam in nobis habemus conscientiam, atque intuitivam aliquam ejusdem cognitionem: iphi quippe nos sumus *ii*, qui sentimus, cogitamus, cupimus, aversamur. — Neque opus habemus, prout in Materia experimur, ex effectibus deducere causas, ut cognoscamus, arbitrarium quodpiam, vel imaginarium adesse objectum; nam immediate nosmet ipsos sentimus,

timus, utrū et actiones nostras. Et tamen
quaerimus adhuc, quid sit Anima?

*Si Materia ab Ente illo, quod cōgitat,
sentit, et vult, distinctum ens dici potest;
si praeterea Ens istud, quod cogitare, sen-
tire, ac velle potest, indivisibile est; qua-
nam illud ratione fieri dicamus, quod nos
una ex parte quasi invincibili quodam Natu-
rae stimulo sensationes nostras in diversa
corporis nostri membra reponamus, quae ni-
mirum earundem organa sunt? et cur altera
ex parte nunquam Voluntatem nostram ad
certam aliquam Corporis nostri partem refe-
rimus; ad talem videlicet, qui utique Obje-
ctum Voluntatis nostrae esse posset? e. g. ad
pedes voluntatem eundi; perinde, ac calo-
rem et frigus, quibus haec membra afficiun-
tur, in iisdem reponere consuevimus?*

*Id, quod D. d'Alembert invincibilem
appellat Naturae stimulum, videtur per
consuetudinem, experientiam, et diver-
sorum sensuum inter se comparationem
facili negotio declarari posse. Cur nos
Visum in oculis reponimus? mihi quidem*

O s non

non videtur id alia fieri de causa , quam quod non nisi oculos claudi oporteat , vel parumper averti , ut non videamus . Eadem est Odoratus , Gustus , et Auditus ratio . Ut primum haec organa ita comparata redunduntur , ut res sensibiles in illa agere nequeant , illico ipsa etiam cessat sensatio . Inde sensationis nostrae ad membra nostra relatio . — Cur , quaerit porro D. d'Alembert , cur calorem ac frigus , quae in pedibus persentiscimus , recapte ad haec membra referimus ? cur non item Voluntatem eundi , quam tamen iisdem pedibus exequimur ? — Quaero ego : cur possumus eo plane inducere animum , ut in ejusmodi quoque membro , quo revera orbati jam sumus , sensum tamen aliquem doloris percipere nobis persuasum habeamus ? Medicorum ephemeredes fidem nobis faciunt , fuisse nonneminem , qui , postquam ipsi pes gangraena captus demebatur , quavis nihilominus ingruente aëris varietate in uno aliquo pedis sui digito dolorem sentire sese existimaverat . Posito jam , quod integrum Corpus nostrum sensationum

nostrarum receptaculum, ac sedem esse statuamus; quanam ratione poterimus nos in quodam corporis nostri membro, quod reapse ab eodem separatum est, neque jam, proprio loquendo, *nostrum* dici potest, dolorem tamen aliquem persentiscre? — Satis videtur esse, quod *Sedes* sensationum, et *Causa* sensationum non sit res una eademque. Non sentimus nos ibidem, quo causam nostrae sensationis reponere consuevimus. Ponimus nos res visibiles *extra nos*, quin tamen easdem *extra nos* sentiamus. Pari ratione referimus causam doloris ad pedes, utut sedes hujus sensationis reapse ibidem non existat. Nervus, qui eo pertingit, vel potius origo illius nervi in cerebello, debet esse propria hujus sensationis sedes. Experimentalia ratiocinia, et con-suetudo, quae in Homine Naturae stimuli fieri possunt, nobis imponunt, ut causas sensationis ad diversas corporis nostri partes citra erroris suspicionem referamus, atque interdum ad extremitates ejusdem reponamus. — Haec ipsa autem sensuum illusio illud quoque reddit.

possibile, ut illam ad extremitatem ejusmodi referre valeamus, quae tamen nobis prius ademta erat; donec videlicet experientiae argumentum, quod extremitatem istam revera non jam possideamus, animo satis superque insederit nostro, omnemque eidem exemerit vanae sensationis illusionem.

Pro comperto, atque indubitato jam habetur illud, quod citra diurnam experientiam, et repetitas saepius Visus cum Tactu comparationes, ipsa Visus objecta nec extra nos, neque in competenti a se invicem differentia collocaturi essemus. Cuncta nobis objecta veluti totidem superficies ac plana colorata apparerent, omnisque Natura visibilis, prout quondam coeco illi, cui repente Visus restitutus est, contigit, ipsis immediate oculis inhaerere videretur; vel potius adeo promiscuas, ac perturbatas perciperemus ideas et imagines, ut objecta in iis, quasi chaos aliquod, animae objicerentur; neque ulla a se invicem ratione distingui possent. Facta Tactus cum Vi-

su

su combinatione, ac diversorum incidentiae lucis punctorum comparatione, docemur corpora et superficies distinguere, distantias advertere, rerum visibilium differentias tam a se invicem, quam a corpore nostro dignoscere: atque hacdem ratione obtinemus clarum ac distinctum illum Naturae conspectum, vi cuius omnia quasi uno obtutu distinguere nos posse autumamus. Intricatissima quaeque repetitis saepius per experientiam vicibus accepta judicia ita in consuetudinem abire queunt denique, ut pro immediatis reapse sensationibus, aut pro ipso cuiusdam naturae instinctus indicio eadem reputare non dubitemus. Perinde etiam e perplexis ejusmodi experientiae argumentis certum quemdam reliquis quoque sensationibus in corpore nostro assignare locum discimus; et, si non ipsam sedem etiam, causam saltem sensationum ad locum illum referre experientia docti non veremur. In pedibus e. g. calorem ac frigus reponimus, dum calidi cuiusdam aut frigidi corporis afflatu, vel ad tactu similes exortae sunt sensationes.

O 5

In

In digito dolorem collocamus , si quam forte mutationem in eo videre , aut sentire contigerit . Si a causa aliqua externa in illo crebrius jam similes oborti fuerre dolores ; si dolor per digitum ad tactum augetur vel minuitur ; si voluntarius digitum motus dolorificus est ; sensum doloris , sumto e repetitis idmodi observationibus experientiae argumento , ad digitum ipsum referimus ; atque argumentum ejusmodi quamdam naturae instinctus speciem esse arbitramur . — Sensus doloris in et per se nullam determinati cuiuspiam loci conscientiam secum habet conexam , et citra aliorum quoque sensuum auxilium ac combinationem perinde nullum dolori , quam voluntati , possemus certum in corpore nostro statuere locum . Unde etiam arduum est determinatu , ubinam reapse dolorem sentiamus , si locus affectus nec videri queat , nec tangi : quo in casu indeterminatum aliquem , ac generalem dolori nostro locum assignare consuevimus , in capite , pectore , abdomine , etc . Experientia quippe nihil

par-

particularius quidquam pronunciare nos docuit.

Pro coronide unam adhuc nobis difficultatem objicit D. d'Alembert, quam, licet nulla nostram sententiam ratione feriat, isthic tamen loci assumere placuit. Sic autem quaerit:

Si Anima diversum quidquam est a Corpore; si ens simplex est; qua ratione concipi per nos poterit Spirituum inter se dissimilitudo? Quasi diceremus: duo puncta mathematica sunt sibi invicem dissimilia. Naturalis igitur similitudo videtur innegabilem involvere consequentiam de duarum harum substantiarum diversitate.

Quaectionis hujus difficultas, prout jam dixeram, nostram haudquaquam premit sententiam; cum enim de Spirituum similitudine diversae adhuc inter Philosophos agitentur opiniones, facile fieri posset, ut tandem eorum potius adhaeremus placitis, quibus major stat pro Spirituum similitudine ratio: si videlicet

in

in antecessum convicti essemus, consequentiam hanc cum nostra de Immateriaitate sententia necessario esse connexam. D. d'Alembert absque praevia demonstratione supponit, non dari aliam dissimilitudinem, quam dissimilitudinem extensionis: verum quo jure? quove arguemento?

In Geometria omnes reliquas Corporum proprietates praetermittimus, et solum ratione extensionis in spatio eadem consideramus: quo manifestum fit satis, cur in Geometria dissimilitudo omnis no[n] nisi ad extensionis rationem exigatur. Punctum mathematicum solummodo limites extensionis absolvit, non autem ipsum quoque extensum est: consideratur quippe solum, qua locus ille, ubi linea terminatur; aut vero, ubi duae lineae se invicem bifariam secant. Atque ideo ne mente quidem nostra ullam inter duo, aut quotunque demum, puncta mathematica concipere possimus dissimilitudinem. An autem universa Natura nihil aliud est, quam Geometria?

anon

anon praeter extensionem alias quoque reperire est proprietates, quibus entia a se invicem differunt? annon denique ejusdem etiam speciei proprietates certo quodam gradu inter se discrepare poterunt? Profecto in ipsa theoria Motus diversae ad motum sollicitationes adscribuntur puncto mathematico; quod ipsum jam ejusmodi proprietatis argumentum est, ob quam sibi invicem citra extensionem dissimilia esse queant puncta mathematica: quilibet enim nodus ad motum determinatum habet aliquem celeritatis gradum, qui utique in uno puncto major esse potest, minor contra in altero.*

Quo

* Dum istum Mendelssohni locum paulo attentius perlegunt Materialistae Newtoniani, quid de suorum elementorum simplicium inter se similitudine sentiant, scire vellem. Annon systema illorum, quod profecto maximam de Materialitate Animae somniandi ansam dare poterat, magis ferit ista d'Alemberti objectio? Duo entia simplicia di-

cere

Quo plures in rebus quibusdam proprietates admittimus, eo etiam major in iisdem locum habet dissimilitudo. D. d'Alembert in praecedentibus non temere adnotavit, nullam prorsus esse difficultatem ejusmodi modificationes concipiendi, quae extensae non sunt, e. g. Gravitationem, Motum, Cogitationem, Voluntatem, etc. Jam si modificationes istae di-

ver-

cere sibi invicem esse dissimilia, absurditas quidpiam complecti videtur illi? annon elementa simplicia, non dico, *sibi invicem*, sed *sibimetipſis* sunt dissimilia? Quot sibi contrariis, quin contradictoriis dixeris potius, unum idemque elementum praeditum est viribus? adtractivis, repulsivis, centripeticis, motricibus, inertiae. — — Neque leve adeo existiment *Materialiae Newtonianae*, quod iſthic profero, adversus ipsorum sententiam argumentum; amplius quippe subest aliquid, quam ut illud prima etiam possit fronte videri. — — Sed *præstat motos componere fluctus*, dum tempus locusve ferat, ut de his quoque amplius quid proloquamur.

versos intensionis gradus recipiunt, sicut e. g. Gravitas inaequales celeritates; Cogitatio inaequalem claritatem; Voluntas inaequalem impetum; sive generatim loquendo, sicut Vires rerum inaequalis intensionis esse possunt; ita etiam negari nequit, praeter localem extensionem totidem dissimilitudines, quot proprietates, rerum existere. Qui igitur Enti simplici vim, seu facultatem sentiendi atque cogitandi adtribuit; cur non etiam eidem illi facultati in quovis individuo determinatum aliquem vivacitatis, subtilitatis, intensionis, etc. gradum adjudicare, sique immensam propemodum Spirituum diversitatem ac dissimilitudinem admittere queat, prorsus non video.

Profecto, dum cognoscendi appeten-
dique vires tam diversas ac singulares in
hominibus capacitates atque inclinatio-
nes obtinent, duo prius Domino *d'Alembert* demonstranda incumbent, quam de
suarum consequentiarum necessitate nos
persuasos reddere queat. *imo*. Quod
omnes simplices substantiae capacities
illas

illas atque inclinationes reapse possideant.
2do. Quod hae ipsis etiam in pari gradu
competere debeant. — Primum ipse quo-
que lubens admisero; nulla quippe mihi
videtur facultas, nullaque inclinatio ra-
tionali cuiquam enti absolute esse abne-
gata: verum omnes hae vires, facultates,
capacitates, inclinationes, possunt esse
diversae intensionis et activitatis; atque
inde immensa quoque illa ortum trahere
potest dissimilitudo et inaequalitas, quam
inter homines passim animadvertisimus.

Eo ipso autem nihil nos jam mora-
tur, quin Animam simplicem ejusmodi
substantiam esse asseveremus; neque cau-
sae quidquam, aut periculi subest, cur
quaestionem illam, *utrum Anima humanae
non sint natura sua omnes sibi in vicem similes,* et solum organizationi atque educationi
earum dissimilitudo sit adscribenda? prorsus
intactam, ac insolutam praetermittamus.
Caeterum, quemadmodum ipse D. d'A-
lembert ingenue fatetur, quaestio ista in-
ter quaestiones mere speculativas est re-
ponenda: fixum quippe, statutumque
est,

est, Animam nostram a dispositione organorum dependere; Educationem (sub qua etiam Clima, nutrimenta, sive Vi-
tus rationem, formam regiminis, con-
versationem, etc. intelligo) partim me-
diantibus sensuum organis, partim etiam
immediate non mediocrem sane in Ani-
mam habere influxum; denique nunquam
vel duos posse reperiri homines, qui
perfecte similibus instructi essent organis,
atque perfecte similes accepissent educa-
tiones. Quaestionis itaque illius de na-
turali Spirituum similitudine aut dissimili-
tudine solutio nulli nobis practico esse
potest usui: uterque enim casus idem no-
bis praestat, si Spiritus consideremus,
prout illos Natura comparatos sistit; dis-
similibus nimirum junctos organis, et
unumquemque in particulari propria ac
peculiari externarum circumstantiarum
sphaera, quae ipsum diversimode deter-
minat, circumscriptum. Sive similes, sive
dissimiles supponantur Spiritus, homines
nihilominus haud alia, quam dissimili ra-
tione possunt esse comparati.

P

Siquid

Siquid tamen exactioris argumenti, atque decisivae hac in parte abs me postularetur sententiae, citra practici tamen cuiuspiam usus respectum; tum enimvero mediocritati meae ita videtur: Magis videlicet ipsi Harmoniae, ordine que perfectissimo fore conforme, ut Mundus uterque, *Spiritualis* nempe, et *Materialis*, sive *Corporeus*, nunquam non inter se parallelus persistat; adeoque dissimilibus organis dissimiles etiam Spiritus conjungantur: quin imo, ut Spiritus isti tam perfecte inter se concordent, prout organa, quae per ipsos animantur. Leges Sapientiae perfectam hanc concordantiam ac conformitatem postulare videntur; et, donec ejusdem impossibilitas evinci nequit, citra erroris periculum in Operibus Naturae praesupponi potest. Necessum habemus certe, prout ego quidem existimo, isthanc Spirituum dissimilitudinem aut absolute impossibilem esse admittere; aut concedere illud, quod sapientissimus Naturae Architectus similia cum dissimilibus non conjunxerit.

Quae-

Quaeritur etiam: *Si Anima cuiuspiam hominis subito in Corpus alterius hominis transponeretur, quomodo se se invicem conformarent?* Ego secundum mea principia sic responderem: sicut transpositio ista citra miraculum fieri non posset; ita etiam alterum patrari oporteret miraculum, ut Anima ista cum novis suis organis innotescendi capax reddatur; si vide licet in novo quoque hoc statu suo *sentire* et *cogitare* debeat. Non credo, absque manifesto miraculo Animam aut ab omni organizata Materia separatam, aut cum aliis, quam quibuscum vires ipsius *concordant*, organis conjunctam esse posse: has autem vires non credo cum aliis concordare posse organis, quam cum iis, quae ab iisdem reapse animantur.

Dico: Anima nec sentire potest, nec cogitare; nisi aliquam organizatae Materiae portionem pro sensationum organis sibi junctam habeat. Atque hac in parte plerosque Philosophorum juxta mecum sentire nullus dubito. Ratio est:

Spiritus humanus, certis circumscriptus limitibus, nequit objecta omnia immediate percipere. Etiamsi autem objecta proxima immediate percipiat, remotiora certe nonnisi mediantibus iis modificationibus sibi repraesentabit, quas illa in proximis sunt productura. Hae nimurum sunt proprietates illae, quae omnibus sensuum membris, vel potius communi eorundem organo, convenient. Portiones nonnisi sunt organizatae Materiae, quarum modificationes Anima immediate sentit; et per quae alias quoque materiales, sive sub sensum cadentes, res mediate percipit. Hac jam ratione Anima *proxime* nonnisi impressiones sentit, in Retinam, aut potius in ipsum cerebellum factas; at vero *remote*, sive medianibus illis, alias quoque res visibiles, earumque proprietates sibi repraesentat. Eadem pro reliquis quoque sensibus stat ratio. Et quomodo etiam possibile foret aliter, si Anima, quidquid sub sensu cadit, immediate percipere ac sentire deberet? Illa igitur Materiae portio, cuius

cujus modificationes Anima immediate sentit, *Organon* ipsius nominatur; quia ejusdem auxilio de aliis quoque objectis certior redditur, quae immediate suas in ipsam exerere nequeunt actiones. Ille solummodo *Spiritus* nullo prorsus indiget organo, qui ubique praesens est; id est, qui immensam hanc rerum universitatem immediate, unoque quasi obtutu, perspicit, ac contuetur. *

Quod autem Anima non nisi propriis suis uti noverit organis, et in quolibet alio alterius cuiuscunque hominis cerebro, prout in proverbio dicimus, *non effet domi suae*, paradoxum forsitan non-

P 3 nul-

* Sublimis ista *Mendelssohn* cogitatio omnem tollit erroris illius suspicionem, qui in praecedentibus latere videtur. Neque est, cur id ipsum pluribus explanem; cum satis superque pateat, Deos nos futuros esse, si immediate omnia, etiam post mortem, percipere aut sentire valeremus.

nullis videbitur Philosophis; iis nempe, qui Animae nullum *constans* attributum concedere volunt. Ex illorum sententia Anima, donec corpori jungitur, nihil assumit novi, quod in ipsa nunquam non perduraret: non reservat illa ideas, nec facilitatem, nec affectus; omnia quippe haec nihil sunt, nisi modificationes organorum, non autem ipsius Animae. Huic nonnisi Facultatem adtribuunt, modificationes illas in communi organo, si-
ve sensorio, quasi legendi. In alio, in-
quiunt, perinde characteres illos, qui eidem impressi sunt, lectura esset; id est,
perinde perfecte sentiret ac cogitaret, ac
si nunquam aliud Sensorium vel cerebel-
lum novisset, sed inde a sui exordio cum
hoc fuisse commorata. — At vero multo
major in Operibus Creatoris menti meae
obversatur Harmonia. Ego sic existimo:
quod in organis corporis secundum leges
naturae corporeac peragitur, idem eo-
dem prorsus tempore, iisdemque, ut ita
loquar, passibus in Anima quoque secun-
dum leges ipsi proprias perficitur: quem-
admodum nempe in organis impressiones

præ-

praeteritorum remanent, ita in Anima quoque praeteritorum ideae relinquuntur. Si in cerebello materialia aquisitatur agendi facilitatum, et inclinationum vestigia reperiuntur, tum spirituale quoque vestigium in Anima perseveret, est necesse. Postquam igitur vidimus, in ipsis corporeas affectiones nostras, sive sensationes, immiscere semet praeterita; (cum videlicet multa per consuetudinem et exercitationem accepta experientiae judicia, citra animadversionem nostram, simul influant, corporeasque sensationes modificant) manifestum jam sit, praeteritorum ideas quoque in Anima cum existentibus in cerebello praeteritorum vestigiis concordare oportere; ut videlicet ad praesentia advertere valeat Anima. Cum aliis porro organis, aut alio cum sensorio, quam quod se cum ipsa simul quasi perfecerat, non potest Anima citra miraculum in ulla unquam harmonia persistere: absque hac autem harmonia actiones Animae nunquam ordinate sunt successivae; non secus, quam humano capiti

cervi-

cervicem pictor equinam jungere si vellet.
Citra miraculum, inquam, nec nervus
nervo, nec musculus musculo cohaesu-
rus esset; nec denique partes diversorum
corporum simul unquam integrum forent
animal effecturae.

